



~~Handwritten scribble~~

Gouanus.

Catalogus dissert.

I. J. Semler

1. Obijt. Super 2 Timoth. II. et III.
2. Iosephi III. Concilio Trident. exemplum.
3. De regeneratione monastica.
4. De prestantia theol. acroamatica pro se dicta biblica.
5. de infelicitate hominum presenti.
6. de Christi ad Thgarum epistola.
7. de imagine divina in humana est. natura.
8. de mysticorum interpretationum studio.
9. Indiquitatem hermeneuticarum in Tertull. specul.
10. de tempore quo scripta fuerit epistola Pauli ad Galatas.
11. Baptizatos fuisse, de quibus agitur Act. XIX. 2
12. de propagata per Bonifacium inter Germanos ref. christ.
13. de discrimine notionum vulgarium et christianarum in libris N. T. observando.
14. In Math. I. 17.
15. de cauenda molesta sedulitate sacra.
16. In Luc. I. Gabrielum spir. s. non esse.
17. Iesum Christum esse vult auctore verum Deum et verum hominem. disp. II.
18. Illustratio antiqui carminis ex euangelio Hebraeorum.
19. de vario et impari veterum studio in recollenda historia desensus ad inferos.
20. spiritum s. recte describi personam.
21. de Des noborosi et euangelio Hebraeorum.
22. de discrimine inter veteres et recentiores.

II. J. A. Neiffelt.

23. singularis providentiae divinae in pace religionis vestigia.
24. de discrepantia propria et propria dictione.
25. de Catenis patrum graecorum in nouum.
26. in 1. Joh. II. 20 et 27.
27. Interpr. canonis anglicae Luc. II. 14.
28. de Christo nomine regnante.
29. Quomodo auctoritatem divinam religionis Christi confirmare sequi maioribus legitatione sinaitica.
30. ad Heb. II. 11.
31. in 2. Cor. III. 17.
32. ad Rom. XXIII. 17.
33. in Joh. XII. 20-23.
34. de vera vi nominis filiorum dei.
35. In 2. Thessal. II. 1-12.
36. In Joh. XII. 1-17.
37. In Joh. XII. 13-17. 22.
38. In Joh. XII. 13-17. 22. - 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

N. 129
1

35
36
IN LOCVM
PAVLLI APOSTOLI
EPIST. II. AD THESSALONICENSES II, 1-12.
DISPVATIO

B. C. D.
PRAESIDE
IO. AVG. NOESSELT
THEOLOG. DOCT. ET PROFESS. ORD.
DEFENDENDA
D. DECEMBRIS
A
IO. MICHAELE WINNE
BEROLINATE.

HALAE,
FORMIS HENDELIANIS
A. C. MDCCCLXXVIII.

1771

IN HOC VOLUME
PAVILLI APOSTOLI
PRIMUM AD THESSALONICENSEM
DISTRIBUITO

FRANCOFURTI
IO. AVG. NOESSLI

D. DECEMBERIS

IO. MICHAELIS WITTE
PROPRIO

HALAE
VOLS. N. 1. 1771
A. T. MOOREVILLI





I.

Et si multum agitato est variisque interpretationibus etiam impeditior redditus sensus loci eius, quem nobis illustrandum sumimus, neque sumus in qui nos primos veram loci vim, tamquam a ceteris omnibus neglectam, ad communem intelligentiam adducturos arbitremur: tamen, ut nihil dictum est prius quod non possit melius ad persuadendumque aptius dici, sic reliquisse videntur interpretes quasi post messem spicilegium, ut & vetera confirmando defendendoque illustrari, & nisi de totius loci sensu, de partibus certe addi praetermissa quaedam possint. Quam disputationem ne defugiamus, admonent nos quoque ea, quae vel ad constituendum loci sensum vel labefactandam eius auctoritate Apostolorum integritatem, a viris doctis valde inter se dissentientibus vel nuper admodum dicta fuerunt. Ac nobis quidem, excussis locis omnibus, qui ad definiendam oraculi Paullini vim apti esse videbantur, ea maxime prodatur sententia, quae illum scelestum hominem (τοῖς ἀνθρώποις τῆς ἀπειρίας), cuius seditionem & fraudes descripsit Paullus, in-



interpretatur de Praefectis Iudaeorum iis, qui, cum ceteris essent auctores concitatae aduersus Romanum imperium seditionis, rei publicae Iudaicae interitum attulerunt.

II.

Principio cuilibet, ne optanti quidem aut requirenti quo modo euentus rerum, quas Paullus narrauerit, duces sint ad inueniendas res ipsas quas ille significauerit, sed vno renore hanc alteram ad Theſſalonicenſes epistolam & sermonis continuationem legenti, facile venerit in mentem, vt locus nostrum ad superiorem epistolae sectionem interpretetur. Tanta enim est, non in verbis quidem, sed rebus, similitudo, vt, Paullum eundem, quem instituerat, persequi sermonem, quamquam accommodate ad aliquam Theſſalonicenſium sollicitudinem, dubitari non possit. In vtroque, de Iesu Christi, Domini nostri, aduentu s. praesentia c. 1, 7. II, 1, eoque inimicis horribili, at fausto Christianis I, 5-7. 10. 12. II, 1. (*ἐπισημαίνω ὑμᾶς ἐπ' αὐτόν*) 8 & 13. loquitur; in illo, v. 8, de iis qui Deum non norint aut curent, nec pareant Euangelio Iesu Christi, in hoc, v. 10, de perituris propter ea quod veritatem salutarem noluerint suscipere; in illo istis miseriam & ignem quasi, v. 6 & 8, in hoc, v. 12. poenam & v. 8. interemtionem veluti halitu Dei factam minatur. Enimvero Iudaeos fuisse, qui Christianos e Theſſalonicenſibus hostili odio exagitarent, & Ecclesiae illius historia docet Act. XVII, 5 seq. & Paullus ipse epistola I ad Theſſ. c. II, 14-16. Vtitur etiam iisdem, quibus 2 Theſſ. I, 5 seq. & cap. II, 2., verbis in epistola ad Philippenſes, Theſſalonicenſium populares ac vicinos, cap. I, 28, quibus admonet ne se patiantur *terrer* *ultima re per aduersarios, quibus (illud terrere) documento sit futuri exitii, Christianis autem (hoc terreri) futurae salutis, idque ita temperante Deo, nec quiscquam intentus ad vniuersum*

sum argumentum istius epistolae ad Philipenses, alios ibi,
quam Iudaeos, intelligi suspicabitur.

III.

Quae si sua sponte iubent ut in loco nostro, de quo
quaeritur, expectemus eiusdem generis aduersarios a Paulo
castigatos, (quid est enim cur quaeramus alibi quae significante
Apostolo possint esse in promptu?) eandem expectationem
alibi quasi & adiuuat id quod Paulus, quoriscunque, ut in
loco nostro, de hominibus impia fraude obligatis, iisque alio-
rum ducibus in contemnenda aut deserenda doctrina discipuli-
nae Iesu Christi, & vero etiam ipsos in magistratus contu-
meliosus, loquitur, toties animaduertat in Iudaeos aut qui de
Iudaeis in coetus Christianorum irrepsissent. Atque hic praesentio,
reclamatorios esse plerosque, praesertim eos qui in
Noui Testamenti libris Gnosticos ubique notatos videant.
Quibus quod respondeam, non sane desidero, atque etiam au-
deo docere, nullum esse librum Noui Test. in quo Gnostico-
rum quae feruntur commenta & mores castigentur, itemque
quibusdam in libris signa non eminentia exflare reprehensio-
nis errorum Iudaicorum, in aliis certe non esse necesse, ut
Apostolorum dicta ad Gnosticorum disciplinam accommoden-
tur, cum possint eodem iure ad Iudaeos aut eorum inter
Christianos similes referri. Sed istud docere & longum est
& ab hac disputatione alienum. Nam quid commemorare at-
tinet epistolas eas, quas contra Iudaicas opiniones scriptas esse
omnes consentiunt? aut istas, quarum auctoritate hac quidem
in causa facile careamus propter ea, quod in iis quidem con-
futantur somnia moresque Iudaicorum, sed ii valde dissimiles
horum quos Paulus notat in altera ad Thessalonicenses epi-
stola? Nec mea quidquam refert, utrum, quorum errores
moresque ceteris in epistolis castigantur, omnem religionem

contemferint, aut anilem ſuperſtitionem ſecuti, aut nimii in ſanctitate colenda fuerint. Qua de cauſa vel quali conſilio ſuſceperint quae eſſent religionis Chriſtianae puritati contraria, non id quidem diſputo; hoc ſum contentus, quod Iudaeos, aut generis eiſdem, concedatur fuiſſe eos, quorum rationem & diſciplinam Paullus in omnibus epiſtolis fugiendam propoſuerit. Quod ſi hi ipſi erant, a quorum odio & vi ſibi ceterisque Chriſtianiſ maxime metuebat Paullus, quorum decreta conſiliaque omnium maxime probabantur in primis Chriſtianoꝝ Eccleſiis, quibus denique certiffimum exitium minabatur Apoſtolus: nonne, ſi in re opinabili fas eſt conicere, eoſdem hic quoque notatos ſuſpicemur? Nihil enim in rebus huius modi magis ad veritatem dirigit quam obſeruatio eorum quae maxime & ſaeppiſſime ſunt aut dicuntur; quibus ubi ſimilia in iudicando accommodamus, &, quod fit in diſciplinis omnibus, analogiam quandam ſequimur, proxime ad veritatem reperiendam accedimus.

III.

Hac igitur analogia vtamur etiam haecenus, vt videamus, an conferendis ceteris vaticinationibus, quas ſacri ſcriptores N. Teſt. retulerint in literas, iisque non leuem adumbrationem ſed accuratam deſcriptionem rerum futurarum continentibus, certa ſignificatio earundem in loco, quem traſtamus, reperiri poſſit. Sunt autem earum, quae amplitudine, copia, ſignorumque multitudine ceteris praeſtant, in primis duae, vna ipſius Jeſu Chriſti, Matthaei cap. XXI. & Marco etiam cap. XIII. & Luca cap. XXI. reperita, altera per omnem Apocalypſeos Ioanneae librum diſfuſa. Illa vix dubitari poteſt quin Paulo cognita fuerit, cum incredibile ſit, Paullum non audiuiſſe, quae tam celebraretur inter Chriſti diſcipulos, vt, praeter Ioannem, qui iam a ceteris vitae Jeſu

ſu Chriſti ſcriptoribus tradita praetermittere ſolet, eam ne
 vnus quidem horum ſcriptorum negligeret narrare, praefertim
 cum Paullus de cultu quo Iudaei Deum proſequerentur,
 abrogando, eorum erroribus, odio aduerſus Chriſtianos,
 fatali denique exitio, vnus omnium maxime loquatur. Eſt
 etiam locus is, de quo quaeritur, in altera epiſtola ad Theſſa-
 lonicenſes, ita ſimilis illi vaticinationi Chriſti, vt vel ver-
 bis ex illa expreſſus videatur. Vtrumque locum conſtat de
 aliquo Chriſti aduentu & die loqui; in noſtro de aliquo
 Chriſtianorum *ἐπιſυναγωγῇ ἐπ' αὐτόν*, plane vt Matth. XXIII,
 31, & Marc. XIII, 27. *ἐκλεκτοί* h. e. vt in omnibus Paulli epi-
 ſtolis, Chriſtiani, dicuntur *ἐπιſυναγροῦθαι*. Hic admonet Paul-
 lus v. 2. 3. ne ſe ſubito moneri deque mente deiici patiantur
 aut terreri, illic Chriſtus, Matth. XXIII, 5. 6. vt caueant, ne
 perterreantur. Hic Paullus v. 3. de defectione (*ἀποſταſία*)
 loquitur, ibi Chriſtus de ſeditionibus, tumultibus, aliſque
 multis nil niſi defectionem Iudaeorum a Romanis ſpectantibus.
 Sed negat Chriſtus iam tum adefſe finem Matth. XXIII, 6. 7,
 aut aduentum ſuum v. 30, prius enim praedicat non modo
 experturos eſſe Chriſtianos odium violentiamque hoſtium
 v. 9, ſed multos etiam exſtituros qui, ſe diuinitus euocatos,
 per fraudem profiteantur (*ψευδοπροφήτας*), auferantque bene
 multos, ſignis etiam editis & fallacibus portentis v. 11 & 24.
 Pariter & Paullus ante quam dies Chriſti acceſſerit, futurum
 praenunciat aliquem, qui ſe Deum quaſi profiteatur v. 5. au-
 thoritatemque ſibi conciliet variis prodigiis quorum fraude
 fidem ſibi faciat apud eos qui veritatis non ſint amantes v. 9 ſeq.
 Hanc vtriuſque loci perſpicuam ſimilitudinem caſu exiſtiſſe
 putemus? ac non eam maxime ſecuti vnum potius ex altero,
 quoad per cetera licet, interpretemur?

V.






At isti loci multis rebus similes admodum, sunt tamen
 aliis inter se valde dissimiles. Audio, nec propter ea ita nu-
 meris omnibus pares profiteor, vt in vno non plus minusue
 sit quam item in altero. Sint sane dispares, quod nec ego
 ipse diffiteor, satis est, si, Paullum Christi vaticinationem co-
 gnouisse, eamque, cum scriberet ad Thessalonicenses, ob oculos
 habuisse, agnoscat, eaque de causa sic statuatur, prius, quam
 interpretandum suscipiamus locum Pauli, de quo quaerebatur,
 conferendam esse illam Christi quasi obnuntiationem, ad eamque
 dirigendam interpretationem Pauli sermonis, quoad per
 verba ceterasque res licuerit. Quod nisi concesserint, ne-
 gent etiam vim omnem locorum parallelorum, aut doceant
 quis debeat alius eorum adhibendorum modus esse. At so-
 lent tamen scriptores facti locos veteres accommodare ad eas
 res, de quibus ipsi loquuntur, etiamsi illi loci rem longe di-
 uersam complectantur, leui etiam vtriusque rei similitudine
 ducti, inprimisque, qui inter istos euentura praenuntiant, ab
 aliis vaticinationibus sumere ad easque transferre res quae,
 quamquam a veteris memoriae rebus diuersae, iisdem tamen
 imaginibus adumbrari possunt; vt incidere in errorem facile
 possit, qui, propter verborum imaginumque similitudinem,
 ad eandem rem referre veterem nouumque locum audeat.
 Recte hoc quidem obseruatum esse concedo, sed dabunt mihi
 vicissim, cum sequioris aevi scriptores eandem rem designant,
 quam a vetustioribus verbis proditam imaginibusque inuolu-
 tam viderint, eos in describenda eadem re iisdem, quae alio-
 rum, sacrorum inprimis, hominum usus triuerit & tamquam
 rei propria constituerit, verbis & vmbis vt solere.
 Itaque in quoque loco videndum vtrum sit verius? Equidem
 opinor consentientes me habiturum omnes, cum dicam, si
 scriptorem constar verba, imagines, & paene vniuersos, vt ita
 dicam, colores, saepe etiam ordinem rerum atque continuationem,
 ab

ab altero esse mutuatum, sic esse iudicandum, eum eandem quoque res tradere voluisse, quae iisdem signis ab altero sunt traditae, nisi sint in alterutro scriptore quae rerum diuersitatem perspicue prodant. Ut enim ii, qui verbis vtuntur iisdem quae aliorum consuetudo sanxit, eandem quoque vim subiecisse putantur, nisi se deseruisse loquendi usum quocunque modo significauerint, ita, qui in pictura iisdem lineamentis coloribusque vtuntur, etiam eandem rem delineasse censendi sunt.

VI.

Sed vt reuertar ad illam Iesu Christi vaticinationem, quam tres vitae eius scriptores retulerunt in literas, licebit hoc loco breuitatis causa sumere, omnem illius orationem ad euerfionem Hierosolymorum, signaque antegressa, vt vexationem Christianorum a Iudaeis, fraudem eorum qui Iudaeis auctores essent seditionis aduersus Romanos, ceteraque, referendam esse; quamquam nec inficior, sed prae me fero etiam, ab isto rei publicae Iudaicae exitio Christianorumque liberatione posthaec apud Matthaeum Christi sermonem ad diem hominibus vniuersis fatalem conuerti. Atque hic ne necesse quidem videtur demonstrari, huius vaticinationis partes quo quaeque loco terminentur. Quidquid de tali partitione statuatur, aut quocunque, siue ad rei publicae Iudaeorum interitum, siue ad extremam huius terrae conuersionem, referatur pars oraculi Christi ea, quae in Matthaei Euangelio narrationem inde a v. 29. cap. XXIII. persequitur: nihil id quidem ad me, satis est, si concedatur, quod fere nemo interpretum dubitat, locum istius capituli, qui a v. 4. ad 28 producit, ad rerum Iudaicarum exitum spectare. Veruntamen vel ipsius confessionis causa, quae inter plures N. T. vaticinationes cernitur, non dubito dicere, verissimam videri sententiam eam, quae

B



quae non modo priorem partem orationis Christi, sed etiam
 posteriorem, quae incipit v. 29 apud Matthaeum, de Hiero-
 solymorum euerfione adiunctisque rebus vnice interpreteretur.
 Neque enim *primum* apud Marcum c. XIII, 4. & Luc. XXI, 7.
 quidquam percunctando quaerunt Christi discipuli praeter
 tempus, quo fit templi Hierosolymitani euerfio futura, atque
 signa e quibus eam instare colligatur. Neque nouam atque
 ab illa diuersam rem complectitur ἡ συντέλεια τῆ αἰῶνος apud
 Matth. v. 3; ea enim, si vnquam, certe non in illo loco de
 extrema eaque fatali terrarum orbis conuerfione dicitur, sed
 de Iudaici, vt ita dicam, orbis confectione, vt Ebr. VIII, 26
 coll. 1 Cor. X, 11, cum perspicua fit apud Marcum quaestio:
 ὅταν μέλλῃ ΠΑΝΤΑ ΤΑΥΤΑ ΣΥΝΤΕΛΕΙΣΘΑΙ.
Praeter ea si vel torquere placeat alicui verba Matth. XXIII,
 24: εὐθέως μετὰ τὴν θλίψιν τῶν ἡμερῶν ἐκεῖνων, h. e. statim post
 ea quae ante dicta erant signa instantis aduentus Christi, quam-
 quam meo quidem sensu ne subobscura quidem sunt ista: ita
 clara tamen sunt illa Christi apud Marcum v. 24: ἐν ἐκείναις
 ταῖς ἡμέραις & Lucam v. 25, qui ne ansam quidem dar alio de
 tempore cogitandi, cum, quae de solis, lanae, astrorumque con-
 uersionibus narrat, superiora perpetua serie prosequantur,
 vt vehementer difficilem oporteat esse, qui animum inducat tan-
 tam perspicuitatem dubitando peruertere. Christi *autem*
 ipsius significationem quis tandem potest contemnere? qui,
 narrantibus vno ore omnibus Euangelistis, perituram negat
 ταύτην τὴν γενεάν ante quam haec omnia contigerint. Esse
 enim τ. τ. γενεάν (quod verbum etiam multorum calliditate
 tenratum fuit) istius aetatis homines, vel ea doceant quae paul-
 lo ante hunc sermonem Christus dixisset Matth. XXIII, 38:
deserta vobis (Hierosolymitanis videlicet) *relinquetur domus*
vestra, &: *poenas dabitis profusi sanguinis* v. 35, adiectis ver-
 bis v. 36: *Profecto haec omnia accident ἐπὶ τὴν γενεάν ταύτην*,
 quae γενεά planissime a Christo appellatur *Vos*, quibus ipse
 misisset

mississet doctores v. 34, atque a *maioribus* Iudaeorum disiungitur. Mitto alia. Nam quid haec disputem, quae sunt tot disputationibus interpretum trita? nisi esset videndum, ne, cum torqueretur Christi varicatio in alienum sensum, eius etiam cum aliis similibus locis consensus in interpretando negligenteretur.

VII.

Qua re nec praetermittendam puto mentionem Apocalypseos eius quae Ioanni Apostolo, ut mihi quidem videtur, recte tribuitur. Quam, etsi aliis, iisque non adumbratis, sed quasi expressis, signis, complecti eandem rem, quae sit a Paulo Thessalonicensibus, itemque a Christo locis supra commemoratis tradita, nescio an dubitet quisquam, aut, iure quidem suo, dubitare possit? In Apocalypseos capite VI. incipit narrare Ioannes quo modo resignatus fuerit liber sibi per visum obiectus; atque descriptio eorum, quae resignatis quatuor prioribus signis euenerint, v. 2-8, quid continet aliud nisi bellum, seditionem, famem, pestem, verbo, ea ista quae Christus Matth. XXIII, 6 seq. tamquam ante Hierosolymorum interitum exstitura nunciasset? Tam quinti resignatio v. 9 sq. eandem prorsus saeuitiam aduersus Christianos tradit, quam Christus apud Matthaeum v. 9. posuerat signum imminentis interitus Iudaeorum. In declaratione signi sexti v. 12 seq. iisdem adeo verbis imaginibusque vitur Ioannes, quibus ante eum Christus in Euangelio Matthaei v. 29, quaeque illic tributa sunt verba hominibus desperatis qui vel mortem appetant tamquam dolorum leuamentum, ea sunt ipsa quae Christus Luc. XXIII, 30 ab Hierosolymorum incolis adhibenda praedixerat. Porro ne Christiani (*οι εκλεκτοι*) inter Iudaeos communi miseria perirent, cauturum Christus ait Deum, ne vel pilus eorum pereat Luc. XXI, 18, & vero etiam eorum causa

curaturum, ut vel tempus istius miseriae decurtetur, Matth. XXIII, 22; quo eodem modo vidit Ioannes cap. VII, 3 seq. seruos Dei numeratos quasi & frontibus signatos, ne laederentur cum ceteris. Post, aperto sigillo septimo cap. VIII irruentes vidit plagas ipsas quae Hierosolymitanos conturbarunt, earumque lugubrem, sed Christianis laetum, exitum; in quibus describendis si quis neget hanc & Christi narrationem inter se similitudinem habere, non cogitat Christum vniuersae, Ioannem descripte, veluti per partes eundo, istam calamitatem repraesentare. Et tamen non raro, vel verbis ipsis, ytramque vaticinationem consentientem animaduertet, ut c. VIII, 13 coll. Matth. XXIII, 21 & Luc. XXI, 23; c. XI, 2 cum v. 24 apud Lucam; c. XII, 6 cum v. 16 Matthaei; c. XIII, 13, 14 cum illius v. 24; c. XVIII, 7. cum Matth. c. XXV, 13; cap. XX, 11 seq. cum v. 31 seq. eiusdem loci, atque etiam alibi. Similiter locus Paulli, de quo instituta erat disputatio, ita conferri potest cum Apocalypsi Ioannis, ut Paullus compressius, Ioannes latius eandem rem proposuisse, atque hic Paulli sententias quasi commentario dilatasse videatur. Sed haec postea, cum ad locum ipsum peruenerimus. Nunc liceat hoc sumere, Apocalypsin Ioanneam, praeter epistolas eas, quae sint ad Christianorum in Asia ecclesiarum rectores scriptae, complecti continuationem quandam seriemque rerum earum, quae Hierosolymis omninoque rei publicae Iudaeorum exitum parauerint, quarum enarratio, coniuncta cum historia molestiarum quas Christiani eodem fere tempore sustinuerint a Iudaeis; liberationisque diuinae, terminetur proposita laeta spe nouorum Hierosolymorum siue ciuitatis florentissimae in coelis. Hoc, inquam, sumere liceat, non docere, ut e similitudine libri cum loco Paullino, huius argumentum & finis, quo sint omnia referenda, cognoscatur. Neque enim ratio fert instituti nostri, ut persequamur hanc disputationem, quae copiosior esset futura hac ipsa, quam suscepimus, omnisque omnino libri interpre-

pretationem necessariam redderet, & ea commode caremus post ea quae GROTIUS, WETSTENIUS aliique, quibus non omnino assentior, imprimisque nuper admodum HERDERVS, Vir Celeb. (in *Magazin d'Asie, das Buch von der Zukunft des Herrn*, Rigae 1779 octonis), ad quem me hac in causa maxime retulerim, vel congesserunt vel docuerunt diligentius. Quodsi tamen sint, qui hanc vniuersam Apocalypseos interpretandae rationem contemnunt (erunt enim; vereor, quam plurimi) & nos, spero, ferent, qui libenter patimur quemque suum sequi sensum, & si ita visum fuerit, seiuncta hac confirmatione proferendae interpretationis loci Paullini, cetera argumenta sequentur.

VIII.

Ad locum Paulli ipsum vt veniamus igitur, principio Rogamus vos, inquit, *Fratres, de praesentia (aduentu) Domini nostri Iesu Christi nostraque ad eum conuocatione, ne subito dimoueamini de mente aut perterreamini vel oraculo, vel sermone vel epistola tamquam nostra, quasi iam inset dies Christi.* Nemo vos ullo modo fallat! Hic Paullum loqui de postremo, quem appellare solent, aduentu Christi dieque ad iudicandos viuos omnes & mortuos constituto, facile equidem agnosco, is enim *dies* atque *aduentus* Christi dicebatur in priore ad Theſſalonicenses epistola c. III, 15. V, 2, vbi iam simili eos sollicitudine liberauerat. Nec aliam esse arbitror *ἡμερὰν αὐτοῦ* aut diuersam ab ea quae est Matth. XXV, 32; quamquam, nisi me meus sensus fallat, Paullus hoc ipso vocabulo videretur mitigare terrorem quam iste Christi dies iniecerat Theſſalonicensibus, vt, cum eidem verbo inſit tutelae & exemptionis e periculis, Matth. XXIII, 37 & XXVIII, 31, non sibi infaustum aut horribilem illum arbitrarentur. Nam ita clare maximo de terrore loquitur Apostolus v. 2, vt, quo



modo Vir vere doctus nuper ad hunc & alium locum 1 Theff. III, 13 potuerit existimare, sperasse Christianos inter Thessalonicenses, aut accelerandum hunc diem desiderasse, proptereaque frustrationem doluisse, itemque summam huius loci esse in hac quoque fallacis spei exemptione, assequi certe non possim. Sed huius timoris qui fuerint fontes? quaeque causae? videndum est. Illos πνεύμα dicit aut *sermonem* aut *epistolam* *tamquam suam*. Qua in re subit animum admirari, quid sit quod tanto consensu interpretes huius loci fraudem oraculorum & commenticios siue sermones siue epistolas Pauli suspicentur; non quo ita esse non possit, sed idoneam rationem non reperiō. Etenim πνεύμα non diffiteor dici de eo qui se Dei iactat appulsu loqui diuinaque oracula proferre, at item est de iis qui vere diuino instinctu loquuntur, vt Apoc. II, 29. XXII, 17. 1 Cor. XIII, 14 seq. nec ipse ΚΟΡΡΙΝΘ, Vir reuerendus, (*Nov. Test.* Vol. I. p. 192.) negat πνεύμα hic etiam posse referri ad oracula Prophetarum V. T. quibus male intellectis opinionis huius vanitatem superstruxerint. Immo rulerim ego potius ad ipsius Christi oraculum Matth. XXIII, quod animo Pauli in loco nostro obuersatum supra videbatur. Nam, si omnis hic locus responderet alteri 1 Theff. III, & V, si verba & imagines ibi eadem sunt quae Matth. XXIII, 30. 31. 43, si Christus in vtroque loco de inopinato aduentu suo & vero etiam ita loquitur v. 34 vt ea ipsa aetate omnia euentura profiteatur: quidni inde credamus natam esse suspicionem Thessalonicensium? Porro *sermonem* (λόγον) Pauli & *epistolam* cur secus interpretemur atque v. 15 huius ipsius capituli praesertim cum ipse v. 5 dicat: *meneritis quod, cum essem apud vos, haec dicerem vobis*, atque is ipse 1 Theff. III, 15. profiteatur, quae ibi de Christo aduentu dixerit, enunciaisse se ἐν λόγῳ Κυρίου. Quid est autem quod *epistolam* aliquam per fraudem Paulo subiectam comminiscantur? Si verum est, quod alibi planum fecisse speramus (in disp. quae exstat in

Opuscu.

Opusculorum ad interpret. SS. Script. fasciculo p. 243 seq.), epistolam ad Ebraeos scriptam esse nostram priorem, eamque Thessalonicensibus in primis destinata: verba ea Ebr. X, 37: *Quantum quantum est, est tamen perbreue tempus, quo veniat Venturus, nec cunctetur*, non potuerunt iis metum istum obicere? Quamquam, si nec ista placuerint, vel in loco illo 1 Thess. III. secum Thessalonicenses appellauerat *viuos & relictos* (in vita) *ad Domini aduentum*, suspicionemque aluerat c. V. eo quod negasset se de *definito* huius aduentus tempore scripturum, satis autem esse dixisset, quod *dies Domini furis instar venturus sit*, itaque *esse vigilandum*. At Paullus hic v. 3 admonet, ne fallantur huius opinionis temeritate. Recte. Christi enim aut Paulli dicta cum traherent in alienum sensum, certe fallabantur. Sed loquitur de epistola *tamquam sua* (*ὡς δὲ ἰδιούτη*). Hoc quoque recte. Nam si ipsius Paulli erat, ut equidem arbitror, perterrebantur epistola tamquam a Paulo scripta; neque enim particula *ὡς* semper negandi vim habet aut dubitandi sed definiendi, ac saepe redundat ut 2 Cor. V, 19. Denique admonitio Paulli cap. III, 17. epistolae nostrae de manu sua, quae sit signum in quaque epistola, cur significet commenticias tum irreplisse eius sub nomine literas? cum & alia possit esse causa, cauendi videlicet, ne, quae manu alterius forte, ut Siluani, ut Timothei (v. cap. I, 1, Rom. XVI, 22), scripta esset, propterea Paulli tamquam auctoris esse negaretur.

VIII.

At quo modo factum fuerit ut Thessalonicenses aduentum Christi, rem maxime laetabilem, formidarent? Si me negem assequi istius timoris causam, nihil ignorem nisi quod Paulus ipse neglexerit tradere, omninoque obscurae sunt omnes causae e quibus Thessalonicensium Christianorum de futuro Christi



Christi aduentu opiniones nascerentur. Fuerit Christi & Apostolorum aetate communis Iudaeorum sententia, accedere Messiae regnum non posse nisi horribiles calamitates cum perueritate morum maxima praecesserint: nec tamen audeo dicere, eam rem Thessalonicenses ad formidandum Christi aduentum compulsisse. Nihil enim contra dicit Paullus, nec istum erroris fontem obstruit; hoc vnice atque proprie vrget, non ita propinquum esse, vt putassent, diem Domini. Itaque hac e propinquitatis opinione necesse est hunc Thessalonicensium errorem fluxisse. Nec mirum illud videri debet. Est enim ea vis ac potius imbecillitas animi humani, vt vel incertitudine rerum moueamur, nec possit id quod inopinatum accidat celeriterque opprimat animum, non videri terribile, iis contra quae sensim videamus obrepere, etiamsi molesta sint & aspera, assuefacti, moderate ea seramus, praesertim si mista fuerint quadam praesensione voluptatis, quae & ista rerum adiunctarum acerbitate acuitur. Ita quidem intelligitur, quid fuerit in causa, cur & rem sua natura optabilem Thessalonicenses reformidarint, & Paullus se existimare potuerit iis satis fecisse docendo, quod vano timore proxime imminens aduentus Christi tenerentur.

X.

Negat autem Paullus venturum esse Christum v. 3 seqq. prius quam exstiterit defectio quaedam, seque prodiderit homo ille sceleratissimus & perditissimus, qui seditionem faciat efferatque sese contra omnem qui Deus dicatur aut venerabilis, ita vt is, instar Dei, etiam audeat in templo Dei consistere, atque se ipse praebere Deum. Nonne meministis, addit, me haec vobis dicere cum essem apud vos? Quibus postremis verbis planissime appellat fidem Thessalonicensium Christianorum, vt stultissima sit calumnia nescio cuius, qui librum effudit

dit nuper editum *de Iesu discipulorumque eius consilio* (p. 200): corrigere Paullum voluisse temerariam in priori epistola denunciationem instantis propediem diei Iesu Christi, quem cum frustra expectassent Christiani, cauisse eum dilatoria, eaque obscura, consolatione in loco nostro, ne fraudem vaticinantis deprehenderent. Quaeso, qui poterat arte corrigere iactum tesserarum quas numquam iecerat? nam neque, cum esset Thessalonicae, secus locutus erat ea de re quam in epistola nostra, & in priori, c. V, 1 seq. negauerat se definiturum tempus aduentus Christi. Hoc tantum dixerat ibi & c. III, 15, quod omnes, quibus de tempore nihil certi constat, nempe, qui existuri sint tempore, quo Christus venerit, non praestituros ceteris qui essent mortui, omninoque vigilandum esse, ne Christi dies nos opprimeret non opinantes. Quod autem nec in hac, altera profiteatur, id quod hodie quidem teneamus, aetatem suam multorum saeculorum interuallo distare a Christi aduentu, quo quidem responso sollicitudinem Thessalonensium radicitus sustulisset: primum non erat necesse; namque nec curiosorum vanitatem alere cupiebant Christus & Apostoli, ac potius aliqua rerum futurarum incertitudine alendae ac uendaeque fidei ac virtuti prouidebant, & satis poterat videri Apostolo, repressisse primam quaerentium perturbationem, reliquam tempori sanandam reliquisse. Deinde, si ipse ignorauit, longae an prope abesset dies Christi, quo modo longe dicere potuit sine errandi periculo? ignorasse autem quid mirum sit quae Christus ipse ignorauit Marc. XIII, 32? nec eum, qui nesciuit quo proprie tempore aetatis istius existitura esset rei publicae Iudaicae ruina, credibile est tempus remotissimi aduentus Christi tenuisse,

XI.

Iam quae sit *amosaria* s. defectio ea, cuius mentionem faciat Paullus, inuestigandum videtur; cadit enim in disputationem quo sit referenda? atque sunt qui impetum in magistratum, alii qui impietatem & Dei contemptum interpretentur. Atque hic nihil video causae, cur huius impietatis aduersus Deum terminis circumscribi debeat. Nam etsi de hac quoque verbum est in scripturis sacris, habentque verba quae sequuntur perspicuam eius significationem: tamen non potest certa ratione concludi, haec quae subiicit Paullus, continere defectiois quandam quasi definitionem, poterat enim impietas adiuncta esse seditioni ciuili. Enimuero conferentibus vaticinationem, quam demonstrauius similem, ipsius Christi Matth. XXIII, quae alia potest videri, quam Iudaeorum impetus in dominationem Romanam? haec etiam, intelligi potest, cur digna sit visa Paulo, quam commemoraret apud Thessalonicenses, cum inter eos versaretur, v. 5. Namque a Iudaeis proficiscebatur omnis molestia ac vis, qua ii propter religionem Christianam exagitabantur (§. II.), habebatque maximam vim ad animos Thessalonicensium Christianorum confirmandos denunciatio, fore vt Romani Iudaeorum furore lacerati horum seditionem vlscerentur, contra Christiani, labefactata Iudaeorum impotentia, liberarentur a perpetua Iudaeorum vexatione. Hanc consolationem, similem certe, adhibuerat Paullus cap. I, 4 seq. nec alia magis apta, vt mihi quidem videtur, intelligi potest causa, cur eam rem, quaecunque sit, quam hoc loco descriperit, narrauerit Thessalonicensibus; & Christus ipse subiecerat narrationi funestae calamitatis Iudaeorum hanc admonitionem Luc. XXI, 28: *Cum harum conuersionum initium videritis, erigite vos & capita vestra attollite, propter ea quod instat liberatio vestra!*

XII.

XII.

Fiet autem omnis res clarior per ea quae sequuntur apud Paullum, qui ἀνθρώπων appellat τῆς ἀμαρτίας, τὸν υἱὸν τῆς ἀπειθείας (איש אין, ארר בליעל f. כן Prov. VI, 12), *sceleratissimum illum*, aut, si mauis, *seditionosissimum*, (nam ἀμαρτία dicitur de quocunque scelere, de seditione etiam, vt Ebr. XII, 3, in primis aduersus Deum, vt Ebr. X, 26 & alibi), itemque *perditissimum* aut *desperatissimum*. In quo obscurum est vnumne aut singularem hominem notauerit Paullus, an plures? cum collectiuum, quod aiunt, nomen esse possit, & plures saepe vno nomine aut vna imagine significantur, vt Ioannes ipse 1 epist. II, 18 τὸν ἀντίχριστον, de multis Christo aduersariis interpretatur, qui locus perspicue docet, nullam vim esse praepositi articuli, quae efficiat, vt non nisi vnus hic debeat intelligi. Qui cum dicitur v. 4. ἀντικείμενος κ. υπεραριζόμενος ἐπὶ πάντα λεγόμενον Θεὸν ἢ σέβασμα, nihil subest causae cur iterum ad vnam in Deum impietatem referatur. Paulo quidem λεγόμενοι Θεοὶ 1 Cor. VIII, 5 etiam Principes sunt & magistratus, nempe illi *terreni* (οἱ ἐπὶ τῆς γῆς) qui & Κόσμοι appellantur, vt אלהים Ebraeis, & σεβασμα *venerabile* est quodcumque, nescio an etiam aliqua subobscura significatione τὰ Σεβάσματα h. e. Romanorum Augusti. Nam quod in loco Danielis XI, 36, e quo visus est Paullus haec verba duxisse, proprii Dii significentur, nihil id quidem ad hunc locum. Sit verba mutuatus, vt saepe Apostoli, num sensum quoque? cum illo de rege, cuius res gestas Daniel narravit, minime loquatur, aliaque pro Danielis verbis substituat, in quibus substitutis significatio est ea quam volumus. Neque ramen a nominibus *Dei* aut *sacrosancti* (σεβάσματος) seiungendam puto notionem veri Dei, quem ille sceleratus contemferit; quidquid venerabile putatur aut culta dignum, his verbis complectitur Paullus, & impietatem hominis aduersus



Numen ipsum diuinum notat his verbis: *ita vt in templo Dei tamquam Deus confident, seque tamquam Deum adorandum praebeat.* Proprie haec possent intelligi de aliquo, qui ipsum templum, quod apud Iudaeos Dei putabatur, h. e. Hierosolymitanum, occupasset, & spreto ac turbato cultu eo, quem ibi Deus praescripserat ipse, sese vel contra Deum extulisset; nec, si eius rei significationem historia daret, huius sensus proprietatem, qua nihil esset significantius, negligendam arbitraret. Sed & ii se quasi ingerere in cultum honoremque diuinum dicuntur, qui persuadendo aut cogendo se magis audiri postulant quam Deum, omninoque qui pari cum Deo dignitate fruuntur, vt *Deus*, vel in sacris scripturis, est pro omni re aut persona quam quis maxime colat & sequatur. Sic ventrem eorum qui religionem abducunt ad mercedem & quaestum, eorum *Deum* appellat Paulus Phil. III, 19, avaritiamque *idololatriam* Col. III, 5, magistratus etiam *Deos* Io. X, 35, & Satanam *Deum huius saeculi* 2 Cor. III, 4. Sic ii, qui aduersa superauerint & illecebras peccandi, *in throno Dei* collocantur Apoc. III, 21, III, 4, ita tamen vt adorantes Deum summum se prosternant coronasque suas v. 10, non vt ille nefarius, quem Paulus se ipsum dicit constituisse Deum. Cultum denique & adorationem diuinam postulare sibi, quid est aliud quam velle ea sibi fieri quae vni debentur Deo, vt Math. III, 9. Apoc. XIII, 4. & alibi, veluti c. XIII, vbi, qui agnum secuti fuerint quocumque duxerit v. 4. disiunguntur ab his qui beluam adorassent c. XIII.

XIII.

Iam, si consulamus vtramque vaticinationem Christi & Ioannis, quam supra diximus monstrare nobis vias ad significationem huius imaginis reperiendam, in Christi oraculo omnino omnes ii sibi vindicabant auctoritatem Dei, quos Christus,

stus ibi *ψευδοπροφήτας* dicit, quorum quisque se Christum inter Iudaeos h. e. liberatorem populi Iudaici mentiebat, efficiebatque oblati monstris & portentis, vt Iudaei decepti ad bellum Romanis inferendum persequendumque inflammarentur; vt omnes ii, qui talem tamquam a Deo ad Iudaeos feruitute Romana liberandos missum colebant laudabantque, eum tamquam praesentissimum Deum venerabantur. Ampliora etiam & vberiora indicia affert Apocalypsis Ioannea, si quis quaesuerit. Namque, vt in loco Paullino v. 9 *Satanae* tribuitur vis, qua se praesentem exhibeat prodigijs quoque commenticijs ad fallendumque compositis: sic idem ille *Satanas* Apoc. XII, 9 dicitur *ὁ πλανῶν τὴν εἰκαμένην ἑλὴν*, isque eodem in loco v. 3 seq. cernitur sub imagine draconis rufi septem capitibus diademate ornatis decemque cornibus terribilis, qui impetum faciat in feminam fuga se eripientem periculo, vt societas sacra insidijs aduersariorum obiecta & liberata tamen ab inani impetu facile intelligatur. Ad prosequendum tamen impetum, draconem vidit Ioannes v. 17. sese accingere ad bellum inferendum ceteris feminae liberis *observantibus praecepta Dei, doctrinamque Iesu Christi tenentibus*, propterea- que potestatem suam tradere bestiae e mari s. abyfso prorepenti, iidem septem capitibus decemque cornibus & *diadematis* spectabili, cuius capitibus sit inscriptum nomen ΒΑΑΣΦΗΜΙΑΣ; in qua quis non agnoscat, vt in ceteris figuris pardi, vrsi, leonis, v. 2. ferocissimam tyrannidem? praefertim, si contulerit c. VIII, ii vbi rex s. dux terribilis exercitus adumbrati locustarum imagine, qui sit *ἄγγελος τῆς ἀβύσσου*, quasi tu diceres *legatum voraginis*, Ebraice *ʿAβδδδδδ*, Graece *Ἀπολλών*, *Perditor* igitur nominetur, qui, secundum c. XI, 7 intulerit bellum *τοῖς μέγιστοι*, quorum ab eo interemtorum corpora infepulta iacuerint in plateis vrbs magnae, vbi *Dominus noster affus fuerat in crucem* v. 8 h. e. Hierosolymis. Istam porro bestiam narrat Ioannes locutam *μέγιστα καὶ βλασφημίας*




Quibus q. d. insolentiam & conuicia, bellumque gessisse menses quadraginta duo h. e. tres cum dimidio annos; conuicia proie- cisse in Deum eiusque nomen, templum (τὸν οὐρανόν), coelique incolas; adoratum tamen esse ab omnibus terrae (an Iudai- cae?) incolis, quorum quidem nomina non fuerint inscripta libro vitae Agni mactati i. e. qui non essent Christiani c. XIII, 5 seq. Exstitisse etiam, pergit, bestiam, cornibus pa- riter munitam, sed agnitis, quamquam vocem draconis edi- derit, v. 11. Hanc prioris bestiae vim omnem, eius sub con- spectu, exercuisse atque effecisse, ut terrae incolae adorarent priorem illam bestiam, proptereaque magna eadisse prodigiu, usque sefellisse terrae incolas, ut adorarent illius imaginem, eiusque caractere signarentur, nisi morte plecti vellent, v. 12 seq.; denique characterem s. nomen s. numerum illius (superioris) bestiae comprehendi numero DCLXVI, v. 18.

XIII.

Neminem arbitror fore, quin, cum ad vtriusque loci comparisonem integer accesserit, magnam statim similitudi- nem agnoscat. iam quidquid aduertatur Dei consiliis, inpri- misque impedit doctrinae Christianae cursum, Satanæ tribui- tus in scripturis sacris. Hinc *Satanam sequi* 1 Tim. V, 15 nihil est aliud quam *perfidum fieri* (τὴν περὶ τὴν πίστιν ἀθετεῖν); hinc *Satanam contereve* Rom. XVI, 20, compescere eos qui *dissensionem serant & offendicula*, v. 17, hinc *Satanas* pro iis qui imperum facerent in Christum Io. XIII, 30, aliaque similes formulae; nec mirum igitur eum a Ioanne *draconis*, malorumque ministros *bestiarum* ex abesse prorepentium, ima- gine adumbrari. Atqui omnis prioris bestiae apud Ioannem figura c. XIII tyrannos exhibet magna iactantes, feroces, crudeles, nulli, ne Deo ipsi quidem obrectando aut eius nomi- ni ac templo parcentes, conterentes quemcunque qui cultum neget,

neget, aut se signari, tanquam militem aut cultorem, characterem tyrannorum detrectet. Haec quidem omnia cum Paulina descriptione perspicue consentiunt. Rei theatrum Hierosolymis est, ut ante e loco Apoc. XI, 8. vidimus coll. v. 2; bestia ipsa alias c. VIII, 11 sub nomine *Perditoris*, imagineque ducis cohortis bellicae cernitur; comminatio quoque ea quae est c. XIII, 10 homines ostendit gladio & vinculis furentes. Itaque haud scio an figura sit *Zelotarum*, ut quidem se ipsi appellabant praedones, qui post direptam terram sacram turmatim irruissent in urbem, omniaque ibi caede, raptu, sacrilegio, flagitiisque nefandis complevisset. (V. IOSEPHUM de Bello Iud. IV. 3, 3 & 9). Nec ceterae partes imaginis dissentiunt. *Capita* enim VII & *cornua* X significant plures apud quos esset potestas (quamquam qui fuerint? nominatim nihil attinet hic inuestigare, cum Paulli locum interpretari velimus, non Apocalypsin), *diademata*, itemque *ibronus* cum imperio bestiae a Satana traditus, tyrannidem violentiam & scelus anhelantem. Quantam vim calamitatesque experti sint Christiani a furiosis his Iudaeis, facile est iudicare, cum toties narret Iosephus, nemini hos furiosos Iudaeos pepercisse, qui vel suspectus esset propter pacis studium, quod conspirare his cum seditiosis nollet. Menses XII., quibus furor eorum terminatur, planissime cum rebus a Iosepho narratis consentiunt. Denique, si vera est HERDERI V. V. coniectura, facilitate quidem non minus quam ingenio commendabilis (l. c. p. 148), numerus tributus bestiae DCLXVI, Ebraeis literis expressus erit תרסו, aut traiectione Cabbalistica סרור, nomen videlicet ipsum *seditio*rum (*אפוסטרום*), quod tanquam sollemne & proprium sceletis vocabulum usurpat Paullus. Altera autem bestia Apoc. XIII, 11 seq. quae minis blanditiisque, & vero etiam prodigiis, compulisse dicitur quoscumque, ut priorem bestiam adorarent h. e. cultu & obsequio prosequerentur Zelotas, quid est nisi imago eorum qui
hoc



hoc modo Zelotis amicos conciliarent aut sceleris certe socios? Hi igitur decepti portentis & fraude nefaria, sunt, οἱ ἀποδολογένοι, ad interitum ruentes, non admittentes veritatem qua seruari potuissent, sed fidem adbibentes fraudi, vt Paulli verbis vtar v. 10 seq.

XV.

Fuisse autem Zelotas, quos diximus, tales, quales Paulus Ioannesque descripsit, omnes eorum mores, si IOSEPHVM audiamus, loquuntur; quod quidem ex eius commentariis breuissime trademus, vt, nihil his seditiosis sanctum fuisse, intelligatur. Plenae harum querelarum sunt Anani atque Iesu, Pontificum maximorum, orationes contra Zelotas de iisque dictae apud IOSEPHVM de bell. Iud. III, 3, 10 & 4, 3. Ille inter alia, vt sacri scriptores, clare domum Dei nefandis piaculis repletum & sacra conculcata dicit, Iudaeos autem medio sanctuario inambulare, calidis quasi caede popularium manibus, Numenque diuinum contumeliose tractare, cum ne Romani quidem ipsi vel vngquam limitem profanorum transferint, vel sacras consuetudines violarint, sed sacrorum locorum ambitum quasi eminus cum horrore adpexerint. Hic: locum adoratum a terrarum orbe vniuerso, & ab alienigenis quaquaersum honoratum, a feris domesticis protritum queritur, plane vt Apoc. XI, 2. τὰ Ἱερῶν, quae sunt ipsi hi profani, templum & urbem sanctam quasi pedibus contruissē dicuntur. Neque enim modo templum occupauerant, quo tamquam perfugio & quasi tyranneo vtebantur, vt verbis IOSEPHI vtar (IV, 3, 7.), sed id quoque horribili caede multorum millium contaminauerant (IV, 5, 1. V, 1, 3); donaria vasaque sacra diripuerant (V, 13, 6), primi quoque sacrae aedi ignem admouerant (VI, 2, 9). Tum contra datam fidem Romanorum praesidium interfecerant (II, 17, 10), omnes,


omnes, etſi aequiſſimas, ſibi, a Tito Imperatore in primis, Agrippa Rege, & Joſepho, oblatas pacis condiciones ad extremam vs. que rerum ſuarum deſperationem contemſerant (II, 19, 3. V, 9, 3 ſeq. II, 2. VI, 2, 1 & 4. 6, 2.), profundiffimae ſe impudicitiae foediſſimaeque libidini dederant (IV, 9, 10), infinitum de plebe non ſolum ſed primariorum quoque virorum numerum crudeliſſime occiderant (III, 3. 5. V, 1. 3. 13, 1. X, 1. 4. &c.). Ne ſacerdotibus quidem perpercerant, e quibus, iisque Pontificibus Maximis, non dubitauerant Ananum & Ezechiam (II, 17, 9), Ananum alium, virum ſanctum pacisque ſtudioſum, itemque Ieſum (III, 3, 7. V, 1, 2) & Mathiam interficere (V, 13, 1), contra pro arbitrio, ſecus quam lex iuſſiſſet Dei, contemtoque ſucceſſionis iure, ipſi novos Pontifices conſtituere (IV, 3, 6. 7). Imperatori denique & facta ſeditione obſequium, & in extremo discrimine vrbs deditioem, & ſacrificium, quod pro eo offerre in templo moris erat, negauerant (II, 17, 2.). Mitto reliqua, quae IOSEPHVS copioſius perſequitur. Qui quidem (VI, 5. 3), de fraude etiam & commenticiis prodigiis: *miferum populum, inquit, Deum eminenti (καταλειδομενοι τῷ Θεῷ), in ſuas partes traxerunt. Cauſſa interitus Iudaeorum, vt paullo ante refert (§. 2.), erat falſus quidam propheta, qui illo tempore ciuibus nunciauerat: Deus iubet in templum aſcendere conſecuturos ſolutis ſigna. Multi autem tum erant ſubornati a tyrannide ad populum prophetae, nuntiantes exſpectandum eſſe auxilium a Deo.*

XVI.

Ceterum tempore eo, quo Paullus haec ſcelera praenuntiabat Theſſalonicenſibus Chriſtianis, nondum erant aſſecuta maturitatem. Καὶ ἔτι τὸ κατέχον, inquit, οὐδαμῶς, εἰς τὸ ἀποκαλυφθῆναι αὐτὸν ἐν τῷ αὐτῷ καιρῷ, κ. τ. λ. Tenetis quoque id quod nunc cobibeat ita, vt ille (ſeditioſus) ſuo demum tempore

D

pore



pore emergat. Namque occulta iam modo serpit seditio, usque dum, qui cohibet, sit sublatus e medio. Tum demum sese seditiosus proder, v. 6-8. Nempe in verbo κἀρέξω haud dubie est notio *cohibendi* aut *impediendi* quo minus statim erumpant prava consilia in seditionem ipsam; addit enim Paullus, tum, hoc cum sublatum fuerit, sese seditionem prodituram esse. Nec video quo possit particula ὅν referri, nisi ad illud tempus, quo Paullus haec Thessalonicensibus scripserat; eum disiungatur ab eo quo exstitura esset illa seditio (ἐν τῷ ἐαυτῷ κἀρέξω), quem ad modum ἦν & τότε paulo post temporum diuersitatem indicant. Ἀνομιαν iterum de seditione interpretor, erat enim ante ἀνομία dicta v. 3, quamquam minime excludendam puto impietatem in Deum & ipsius religionis Iudaicae contemptum, ut alias verbum adhibetur de iis, qui defecerant ab ista religione, 1 Macc. II, 44. III, 5. Μυσήγειον interpretatur Paullus ipse, cum dicit v. 8: futurum esse aliquando ut vis seditiosorum erumpat; antea igitur latebat in tenebris. Ἐνεγείρω tamen, inquit h. e. ut bene GROTIUS vertit, *conditur*, aut, si mauis, *elaboratur* atque *serpit*, dummodo, qui nunc vim seditionis quasi *compressam* tenet, *sublatus* sit. Quae varie possunt intelligi; nec, quo modo debeant, audeo pronuntiare in tanta breuitate Paulli, qui se referre ad Thessalonicensium notitiam poterat. Satis fuerit diuinasse, τὸν κἀρέξωτα fuisse *Claudium*, qui tum, cum Paullus haec scriberet, summam imperii Romani tenebat; eo enim extincto, sub Nerone, successore, inueteratum Iudaeorum odium tacitaque discordiae sese ostendentes emerferunt.

XVII.

Sed furor ille seditiosorum maxima repressus fuit vi Romanorum, ac potius Dei. Tanta enim pertinacia erat, tanta rabies, tantus etiam in summo periculo apparatus Zelotarum,
vt

vt Titus ipse confiteretur: se bellum, Deo opitulante, confesse, Deumque fuisse qui Iudaeos istis munimentis exturbauerit (apud IOSEPH. d. bell. Iud. VI, 9, 1). Merito igitur Paulus hanc furoris Iudaici euersionem repetit v. 8. ab *illustri* aut praesentissimo *aduentu Domini*, quem contineri excidio Hierosolymitano sua sponte intelligitur. Nec vereor, ne quis iure mihi occurrat ita, vt dicat, alio tum sensu accipi *παρολα* Domini quam versu 1. vbi Paullus, nobis non dissentibus, de postremo Christi aduentu dieque hominibus vniuersis fatali loqueretur. Namque vt *παρολα* Dei in sacris scripturis de quacunque effectione diuina, itemque Deus aut Christus *venire* dicitur, quotiescunque beneficia conferat aut inferat mala, remuneretur aut viciscatur, veluti Rom. VIII, 9. 2 Petr. I, 16: sic, cum de viciscenda Iudaeorum contumacia & Christus & Apostoli saepe loquantur, mirari non debemus, quod istud verbum pariter cum diei *Christi* nomine in primis ad hoc quoque rei publicae Iudaicae excidium transferatur. Ita quidem est Luc. XVII, 24, Matth. XXIII, 27. & alibi; omninoque, quo sit sensu accipiendum? aut quis intelligendus aduentus? ceterae res indicant, quae commemorantur in aliquo loco. At quem ad modum ille lugubris rerum Iudaicarum exitus non vna erat poena quam dabant propter Dei contemptum Iudaei, sed aliqua eius pars potius, nec Christiani euersione potestatis Iudaicae liberati erant ab omni genere vexationis, omninoque Christus eiusque Apostoli cupiebant suos semper auocare a felicitatis aut mitigationis externae spe, eorumque animos ad laetiores in caelis spem beatitatemque nulla vicissitudine turbendam conuerrere: sic etiam tum, cum consolationem ab interitu tyrannidis Iudaicae repetitam afferunt, ei longe laetiores spem exoptatissimi aduentus Christi ad viuos mortuosque iudicandos adiungunt; quod in oratione Christi Matth. XXIII & XXV atque in Apocalypsi Ioannis maxime cernitur. Paullus autem, vt supplicium, quo Christus affectu-

affecturus esset Iudaeos, aptissime appellat *παροισιαν τῶ Κυβλι*, propter ea quod eam tamquam contrariam opponere vellet *τῆ παροισιαν τῶ Ἀνδρι*: sic nullo modo erat necesse, ut haec *παροισια τ. Κυβλι* ab altera illa v. i. aliter discerneretur, quam commemoratione rerum, quae, qualem Christi *παροισιαν* v. 8 significasset, planissime docerent. Fac igitur, Paullum nescivisse, num dies Christi postremus tempore diuersus foret ab illo qui Iudaeis fatalis esset, an uterque idem in tempus incidere? aut cognovisse, utrumque a Iudaeis, quales erant Thessalonicenses (1 Theff. II, 14), nullo modo discerni, sed vnum in tempus conlicii: certe & ipse poterat utriusque mentionem coniungere; idque hoc magis, quod, si eos admonuisset de seditione Iudaeorum nondum imminente, per se esset perspicuum, nec vltimum Christi diem v. i. iam tum instare posse.

§. XVIII.

Istam autem vim Christi, qua se praesentem Iudaeis seditionis ostenderit eosque funditus deleuerit, exprimit Paullus his verbis: *Dominus euertet eos spiritu oris sui*, quae continent imaginem Ebraeis vauibus frequentatam *Est. XI, 4. Hof. XIII, 3*, eamque magnitudine non minus quam perspicuitate illustrem, cuius significatio in promptu est. Quae quam sit apta huic loco, docebit Apocalypsis Ioannis, in qua, quae hic pressius dicta sunt, explanatius & vberius expressa cernuntur, ita, ut, quo modo poena ad crimen exactissime referatur, facile intelligi possit. Nempe Dominus is, cuius per librum vniuersum victoria describitur, statim in libri principio cap. I, 16 pingitur tanquam e cuius ore *gladius anceps & acutus procedat*, quo *bellum inferat* hostibus, c. II, 16. Post, cum vidisset Ioannes bestiam utramque illam, quam supra e. c. XIII. contuendam proposuimus, quae & interfecisset omnes qui cultum negassent & obsequium, & ita esset a cultoribus adorata,

ut etiam hi audent exclamare v. 4: *quis potest bellum cum
 ea suscipere?* mox non modo vidit urbem, adumbratam me-
 retricis imagine c. XVII, eversam c. XVIII, sed bestiam quo-
 que, quae ausa esset praelio dimicare cum eo, cuius nomen
 esset: $\delta \lambda \acute{o} \gamma \omicron \varsigma \tau \tilde{\alpha} \Theta \epsilon \tilde{\iota}$ c. XVIII, 13, itemque Rex regum &
 Dominorum Dominus v. 16., e cuius ore acutus gladius pro-
 diret ad feriendos profanos v. 17. ($\tau \tilde{\alpha} \tilde{\epsilon} \tilde{\delta} \mu$, ea videlicet quae
 conculcassent urbem sanctam c. XI, 2), eam igitur vidit captam
 cum falso propheta, qui eius in gratiam prodigia edidisset
 (h. e. cum altera bestia), pariterque coniectam in lacum igneum
 sulphure ardentem; quod de iisdem, deque dracone, qui &
 ipse tamquam flumen e faucibus ad Ecclesiam opprimendam,
 emisisset c. XII, 15, repetitur c. XX, 10. Nec negligendum
 videtur illud, quod, cum Paullus seditiosos dixisset *templum
 Dei* occupasse atque ibi *tamquam Deum confedis-*se, omnes fen-
 rentias Dei latas de bestiis ceterisque hostibus reperimus tam-
 quam e *Dei templo* in caelis pronuntiatas, atque inde emissas
 quasi poenas ipsas. Vide Apoc. XI, 19. XIII, 15, XV, 5. 6.
 XVI, 17 &c. Sed finem faciamus dicendi de loco Paullino.
 Neque enim necesse est excutere aliorum de eodem loco fen-
 rentias, neque, quae contra nostram dici possint, examinare.
 Haec enim occupata videntur per ea quae *disputationi* ipsi ad-
 sersimus; & illae falsae reperientur, ubi de veritate constet
 interpretationis illius, quam confirmandam nostro modo
 suscepimus.



IO. AVG. NJOESSELT
 I O. M I C H. W I N N I O
 HVMANISSIMO ADOLESCENTI
 S.

Nuper admodum cum TV, WINNI AESTVMA-
 TISSIME, prouocatus ab iis, qui studia TVA liberalitate sua
 adiuuissent, rogasses me, vt in elaboranda defendendaque di-
 spuratione, qua studiorum TVORVM patronis diligentiam in
 literisque profectus probares, meas TIBI partes addicerem:
 libenter illud quidem promisi FORVM TVIQVE ipsius causa.
 TVI, quod esses vnus e paucis, qui cum pereunibus studiis
 & audiendarum lectionum assiduitate, vitam apud nos Theo-
 logiae studio dignissimam coniunxisses, cuius generis audi-
 tores & verissime amare soleo & iis vltro etiam commodare.
 FORVM autem, quod pietatis esse videretur vel obsequendo li-
 beralitatem erga literarum studiosos remunerari, vt aequita-
 tis, egregium exemplum seruatae veteris disciplinae amoris-
 que in bonas artes aliis ad imitandum commendare. Nam-
 que mihi cogitanti saepenumero, quid sit, quod adeo hodie
 studia academicorum frigeant, profecto non postrema causa
 videbatur esse in raritate exercitiorum, quibus bona ingenia
 eaque seueris studiis subacta & acui & proferre in publi-
 cum quae didicerint, hac ipsaque re commilitones inflammare
 ad similem laudem, possint. Idcirco profiteri publice non du-
 bito, fecisse Patronos TVOS quod sibi honorificentissimum
 sit; quid enim potest honorificentius esse, quam non modo
 bene.

beneficiis excitare adolescentes discendi cupidos, sed efficere etiam auctoritate sua, ut & illi ad perfequenda studia enitantur vigilantius, & aliorum similia studia veluti e somno excitent? **TIBI** autem discessum ex academia paranti & a libello diligentius scribendo temporis angustia excluso, ipse ego auctor fui, ut, quoniam satis habituros Patronos **TVO**s audivissem, si defendendo tali aliquo libello demonstrares diligentiam **TVAM**, mihi cum elaborandum relinqueres. Quod sane instituissem, nisi in temporis brevitare ita omni otio me vacuum sensissem, ut magis in chartam coniecta quam elaborata disputatio dici debeat. Res **TIBI** a me proposita, prae aliis quae disputari potuissent, placuit, quod hic ipse, quem tractauimus, Apostoli locus vel nuper in disceptationem vocatus esset, atque existimares, pro interpretatione ea, quam iam dudum in lectionibus meis tradideram, dici posse quae aliorum in libris non admodum obuia essent. Ceterum non tam **TVI** causa, etsi **TE** quoque vehementer cupio incendere ad studia eadem diligentia, qua adhuc fecisti, perfequenda, quam Patronorum **TVORVM**, lubens meritoque profiteor, eam fuisse **TVAM** apud nos vitam, ut sperem nunquam fore quod **TE** eius poeniteat; nec dubito **TE** semper **TVI** similem futuram omnemque daturum operam, ut **DEO DOMINOQUE NOSTRO IESV CHRISTO** vince viuas, ad eius **TE** disciplinam doctrina, animo, vita, semper accomodes, nihil denique potius habeas, quam bene agendo **TE** **EI** optimoque cuique probare. Vale. Scripsi Halae d. XIII Decembris A. C. MDCLXXVIII.

CARIS-



CARISSIMO SVAVISSIMOQVE
W I N N I O

S. P. D.

ALEXANDER GOTTLÖB KAVLFVSS

SEMINARII REGII THEOL. SENIOR.

Inter iuvenes, quos patria, quos animi indoles sacris musarum initiari constituit, arctissimum necesse est amicitiae vinculum. Adest ingenii feruor, qui multa moliri, & quae moliendo offenderit impedimenta, alacriter submouere tentat. Adest idem consilium, quo tendunt omnes, litterarum morumque liberalis usus. Adest pares animi sensus, cum omnes hilaritatem ament, & quaecumque amicis contigerint, toto pectore sentiant. Et quod summum est in amicitia, alius sustentare alium, emendare, hortari, flagrat, tenet in eum amore affectus. Veritatem huius sententiae probat exemplum Tuum splendidissimum, Amantissime Winni. **TU** enim inter iuvenes, quos morum, aetatis, studiorum similitudo arctissime **TECUM** coniunxerat, humanitate, modestia, indefesso in litteris studio clarebas. **TU** laudibus, quas hodierno die consecutus es, per totam vitae rationem, **TE** dignum semper reddebas. Ex animo **TIBI** gratulor, quod gloriam nactus sis, virtuti ac diligentiae **TVAE** accommodatam. Redi in patriam faustis omnibus, carpe fructus **TVAE** industriae ac probitatis, quos summum nomen, quos patria **TIBI** asseruat. Vale mihiq; semper faue. Dabam a. d. 8. Decembr. MDCLXXVIII.

Fe 4194

ULB Halle

002 623 889

3




SB

Retrov








IN LOCVM
PAVLLI APOSTOLI

EPIST. II. AD THESSALONICENSES II, 1-12.

DISPUTATIO



B. C. D.

PRAESIDE

IO. AVG. NOESSELT

THEOLOG. DOCT. ET PROFESS. ORD.

DEFENDENDA

D. DECEMBRIS

A

IO. MICHAELE WINNE

BEROLINATE.



HALAE,

FORMIS HENDELIANIS

A. C. MDCCCLXXVIII.

